





Band II



LIT 419,3

Archiv A04

No 545-704.

111 111



Q. D. B. V.

Ad

*Virum Nobilissimum*

**DN. M. GODOFREDUM**

**LUDOVICI,**

**Illustris Gymnasii Saxo-Hennebergici**

**RECTOREM meritissimum,**

**EPISTOLA**

**Christiani Weisii, Gymn. Zitt. Rect.**



**ZITTAVIÆ,**

Typis Michaelis Hartmanni.

Sumptibus Jacobi Rohrlachii, Gorlicensis.

1705.





*Vir Nobilissime.*



Postquam publico me scripto compellas, non video cur, quicquid a me responsum fuerit, intra privatos nostros parietes delitescat. Equidem tantum abest, ut publicis laudibus afficiar, ut in his, non commendationem quis ego fuerim, sed admonitionem potius, qualis esse debuerim, contineri credam. Neque gratias admodum prolixas libenter agere soleo, quoniam reciprocis blanditiis subesse videtur ad plus dandum invitatio. Hoc tamen si veniat ab Amicis, velut homines facti, placidum hunc vel Silendo, modeste comprobando veneramur affectum: quis enim succenset amanti? quis etiam qualemcunque favoris excessum, pro sua simplicitate non excuset?

Et verò causas habeo satis graves, *Nobilissime LUDOVICE*, cur amicum Te vocare non dubitem. *Lusatius es, ac communem mecum agnoscis Patriam*, unde Viros passim meritissimos per orbem eruditum disponi meminimus: cujus quoque laudis copiam Tibi factam gratulor. *Seligmannianus es & dignus, qui DUUMVIRIS* tum in Republica in Ecclesia claris, *propriorem admissionem debeas*. Eo sane pervenerunt Heroes, ut eorundem virtutes admirari magis quam imitari liceat. Interim suo quemvis modulo metiri didicerunt, nec contemnunt, quos magnos, ut ita loquar, reperiunt in parvis, ac fideles in officiis, forte quidem exiguis, necessariis tamen, & Deo probatis.

Sed ne dissimulem, quis præcipue sit amoris mutui fomes. *Rektor es, qualem illustrioribus Gymnasiis apprecari serio velim*. Pietati junctam habes industriam, laboribus amorem ac bene merendi studium. *Conscientia Tibi sistit Scholarcham, Juvenum salus interpretatur leges, ipsa vigilantia relaxationem pollicetur*. Parentes cum optimis filiis intelligunt, quam sis *in difficultate facilis, in obscuritate perspicuus, in rerum velut umbratiliu apparatus, lucidus & practicus*. Nihil doces, quod olim non didicisse juvet: nihil oblivioni futuræ consecras, sed, quæ seris etiam annis fructificent, spargis semina. Præcipue verò mones, *ne quis scire se putet, quod verbis exprimere nequit*: sic ipsas disciplinas, sic omnes disciplinarum cultores reddere cupis eloquentes. Mores quoque semper ita componis, ut nec  
nimi-

297



*nimiam Scholæ morositatem, nec nimiam vitæ libertatem sectari vi-*  
*dearis, memor scilicet in subscelliis versari juvenes, quorum vel stu-*  
*dia theologica decoram requirant gravitatem, vel studia quoque politi-*  
*ca non indecoram exigant elegantiam. Hinc in scenam Tuos pro-*  
*ducere non dubitas, nec moraris τὰς διυλιζόντας τὸν κώνωπα, qui cum lu-*  
*dis gentilium, suo merito rejiciendis, omnem simul execrari solent*  
*apparatum, ut, ne christianas quidem orationes, ex editiore loco, ve-*  
*lut ex theatro, recitandas concedi debere clament: digni forte quos*  
*cum monachis, sub Antichristi vexillo militantibus, ad austeram soli-*  
*tudinem secedere jubeamus. Uno verbo, mecum sentis, quoties servi-*  
*lem informandi methodum, & cœcam per inutiles ambages viam*  
*aliqui commendant. Displiceat ipsis, nostra, quam refugiunt, novi-*  
*tas: dummodo veteribus interpretandis, illustrandis, ordinandis & imi-*  
*tandis ea sufficiat. Venerentur antiquos, velut semideos: dum-*  
*modo nos, unde profecerint, & quibus vel artis vel naturæ doti-*  
*bis instructi cæteros superaverint, ostendere queamus: ut non homi-*  
*nes modo, sed nostris etiam ingeniis imitabiles experiamur. Jucun-*  
*du profecto non ita pridem mihi fuit censor, qui methodum, ut sal-*  
*se vocant, Weisianam, ut ego loquor, naturalem ipsique rationi con-*  
*gruam, exagitaturus, nihil inquit in Oratoris meis reperiri quod ex-*  
*scriptum non esset ex Hermogene vel Dionysio Halicarnasæo. Sive*  
*tamen id fecerim, quod nego, sive meis abundaverim sensibus, quod*  
*rectius affirmaret: pari gloriâ viderer dignus, qui vel antiquitatis the-*  
*sauros eruerim, vel eandem veritatem, quam illi reperissent, inda-*  
*gando fuerim assecutus. Reliquos vero minus crediderim excusan-*  
*dos, qui vel apud discipulos monstratam ab antiquis viam dissimula-*  
*verint, vel mecum antiqua nunc amplecti dubitent.*

Sed ab odiosis progrediamur ad amœniora: quippe novum a-  
moris argumentum inspirat *Tua in Optimum SCHMIDIUM pie-*  
*tas.* Is decem annis me major, olim in ædibus nostris succrescens, fra-  
ter familiæ nostræ senior per jocum sæpe vocatus est, quod prima se-  
dulitatis, dexteritatis, pietatis principia referret ad ELIAM meo- suum.  
Ita sæpe gratulatus sum Quedlinburgensibus, quod dimidio fere secu-  
lo pretiosum hoc depositum suis filiis indulgeri cernerent: ipsi quoque  
ROESERO, quem suo merito JACOBUM & NICOLAUM fuisse  
dicis, quod introduxisset Magistrum, qui totius Orationis mensuram,  
erudita sua pietate feliciter impleret.

Vidimus & scriptis & sermone Rectorem incomparabilem, cu-  
jus ad imaginem novos efformare sibi queat posteritas. Trivium  
suum strenuè coluit, ut ad juventutis utilitatem singula, nihil ad-  
*manes vel speculationes vel ineptias referret. Suos non loqui solum,*  
*sed & cum judicio loqui, h. e. accurate disputare docuit: ipse paratis-*  
*simus sive meditata, sive subita, proponere statuisset: ut viva docen-*  
*tis*

)(

tis



tis *VOX*, vivus ejusdem calamus neminem pateretur, vel in dicendo tardum, vel in exercendo nimis ignavum. Theologi nomen meruit, qui non solum esset in quolibet religionis apice fidelissimus ac purissimus, sed qui christianum simul animum, & mysticam Redemptoris unionem orthodoxè profiteretur, quoties redeunte Pentecostes festo textum suum funebrem, de dilectione Patris, qui mundo Filium dedisset, solenni concione dilucidaret, aeternaq; vitæ prægustum audientibus instillaret. Politicum fuisse nemo dubitat, qui SERENISSIMAS ABBATISSAS, ac præcipuos Earundem Ministros sibi devinxit, qui nobiliora Magistratum Collegia suis discipulis replevit, qui tandem in eo laborum & occupationum strepitu, politiores etiam linguas, ad miraculum reddidit familiares ac penè vernaculas. Optimi Parentis gloriam reportavit, qui liberos orbi traderet meritis ac virtutibus insignes. Vivit adhuc paternisq; solatiis adest SAMUEL HENRICUS, studiis, peregrinationibus, negotiis, tanto quidem illustrior, quod digniorem inter Consiliarios Saxonicos locum occupavit. Utinam vivacior fuisset JOHANNES TOBIAS Medicinæ Licentiatus & apud Gvelferbytanos Practicus: cujus tamen desiderio par fuit Gener LEONHARDUS CHRISTOPHORUS STURMIUS primo Gvelferbyti, nunc in Academia Noricorum Professor celeberrimus.

Equidem, ut anni Climacterici facere mentionem liceat, cum SCHMIDIUS hic noster ad istum vivendi terminum pervenisset, Patriam suam denuo, vel ut ipse conjiciebat, ultimo spectare constituerat. Tum nihil omissum, quod vel Hospiti tam præclaro, vel meo simul amori satisfaceret. Instruxeram Primæ Classis Auditorium, in quo pranderet ipse cum Patronis, quos olim in Spiritus S. hac officina socios & æmulos habuisset. Nec deerant læta Symphonistarum officia, si vel maximè communis provinciæ luctus instrumentorum usu nobis interdiceret. Quæ quantum ipsi placuissent, transmisso postea carmine testatus est, cujus ultimas strophas latinis verbis referre libet. *Postremum, ait, vidi Patriam, cujus ulteriore conspectu quia carendum est, imago tamen cordi fideliter impressa cogitationibus obversabitur, ut, quicquid decesserit adspectui, perpetuis vel officiis, vel præconiis resarciatur. Floreat optima ZITTAVIA, cujus muros divina cingat benignitas. Fortuna sit immutabilis, ut qui fines adeo charos incolunt, suam suorumq; gloriam perpetuo salvam & constantem agnoscant.* Cæterum ubi paululum abfuisset a Qvedlinburgensibus, tres e diversis locis nuncii referunt, in itinere fatis creptum SCHMIDIUM: quæ tamen res, quo tristioribus animis illaberetur, tanto majorem redeuntis lætitiæ attulit: nec a carmine fatis amabili temperare sibi potuit M. Benedictus Drebesius, circuli Jerichoviensis Inspector, & Ecclesiæ Burgensis Pastor, quondam Viri meritorissimi discipulus,

Qvid



Quid ex eo tempore sæpius ad me scriptum, quid a me redditum fuerit, nunc exponere non vacat. Ast ubi jam ad Emeriti quietem spectare viderentur consilia, totumq; negotium in literis amore plenissimis mihi communicaret; amicis etiam constare velim, quas formulas tum expresserit singularis meus affectus. Allegabam GERLACHII Rectoris exemplum, *qui cum in Gymnasio nostro mortalitatis legem subiisset, ac certa cujusdam Scholæ Rector hoc munere non indignus haberetur, molem deprecatus, Gerlachio, inquit, succedere difficile est. Neq; fortassis hac difficultate caruisset desertum hoc a Schmidio Gymnasium, nisi Deus ostendisset ECCARDUM, Scholæ Stadenfis per undecim annos Rectorem, Virum, ut ominamur, legendis Antecessorum vestigiis parem. Sic enim voti compotes factos credimus, qui Successorem amplectuntur experientia, patientia, prudentia, tot annis alibi probatum. Ita Budissinenses acceperunt THEILIUM, prius Numburgi, ROSENBERGIUM Gothæ celebres. Ita Gorlicenses & FUNCCIUM & GROSSERUM Altenburgi jam cognitos fuerunt nacti. Nostri Zittavienses GERLACHIUM decem ab hinc annis Budissæ Rectorem, PREILIUM Iudi Misenenfis Collegam, postea Scholæ Torgensis Rectorem sibi quondam devinxerunt. Ipse ego, priusquam huic muneri subjicerem humeros, in Gymnasio Weissenfelsensi juventutis velut cornua deponendo, vires meos exploraveram. Nunc SCHMIDIUS posteritati velut interest, ac florere gaudet Plantarium tot annis a se feliciter excultum. Pravum enim malignumq; est *impares conquirere, qui, quod Augustus in Tiberio respexisse dicitur, antecessorem reddant desiderabiliorem.* Curet itaq; senectutem suam, ac Emeriti coronam gerat, donec ad coelestia vocatus nitidiorem coronam consequatur. Interim qui testem & comitem SCHMIDIUM habet SUCCESSOR, geminum Ejus spiritum vertici suo concessum deprehendat, ne unquam almæ Budaides, Hercyniam suam hac florentium literarum fama destitui conquerantur.*

Sed ignosces prolixitati, Nobilissime Ludovice, quam effugeré non possumus, ubi mentem tenerior quidam affectus semel abripuerit. Nunc enim id restare videtur, quod anni mei Climacterici mentionem adeo effusam & honorificam facere dignatus es. Memini cum annus XLIX. a me fuisset absolutus, Illustrem SELIGMANNUM applaudere, *quod Climacter hic Heroicus ad finem pervenisset, precariq; simul ut non minorem mihi letitiam afferret hic Androdas, quem Ægyptii vel Chaldæi, pro superstitione sua, sic appellaverant, quasi Virifragum, seu ἀνδροκλάστην.* Nunc gratulandi vices occupasti, quem SELIGMANNORUM Familia Consanguineum vocare gaudet. Ita, quid vota valuerint in futurum, præsentiore stylo declares. Annus jam agitur quartus & trigessimus, ex quo B. Parenti meo  
pu-



publicis verbis hunc Climacteris ingressum juberem esse felicem: qui tamen decimo tandem septenario Filii Rectoris voce diceretur Emeritus. Tu, quod Parenti præstitum est, velut insperatus Weisiani nominis interpres exsolvis.

Cæterum ut repetere liceat Maxmiliani II. Imp. responsum, QUILIBET ANNUS MIHI EST CLIMACTERICUS & ad excipiendam relaxationem commodus. Ast cum vulgares versiculos, sub annum ætatis quadragesimum a me conceptos, pudori debuisses consulere meo: nam ipse cognoveris, non anxie scriptos, sed tumultuarie penitus in chartam effusos fuisse. Convenerant amici, & quem morem servabat concors NESENORUM Familia, genialem mecum diem hilarius, quam lautius celebrabant. Præsentibus autem Muficis, dum reliqui confabulantur, hæc festinatur cantio, quæ tum novitatis gratia valebat, nunc vereor, ne repetita scabritiem suam ostendat. Majori curâ congefferam rhythmos aliquos, cum annus sexagesimus Senectutis faceret initium: quos, quia nondum forte vidisti, nunc literis inclusos exhibeo. Sic posteriora mihi subinde placent præ superioribus. Nec ad me pertinere credo, quod Poetarum in Silesia princeps asserit, *26. sibi quam 62. fuisse feliciorum*: quippe si quid est in lincolis meis, quod cum aliis comparari mereatur, fructus ego maturiores præcocioribus aliquanto generosiores arbitror: imo nunc demum, quid ad versum requiratur, intelligo, postquam multi monent suspendendam esse lyram: quod ad B. RAPPOLTI tumulum faciebat incomparabilis FRIDERICUS BENEDICTUS CARPZOVIUS.

Cæterum quo magis Tua lego, mortis quoque in memoriam infurrat senectutis hæc mentio, vel si quosdam annos adjicere dignetur vitæ Custos & Arbiter, metuere jubeor, ne tandem ἀνδροκλάσις virium afferat naufragium. Angli proverbium habent, *in eruditorum numero præstare juniores Jctos, mediorum annorum Theologos, seniores Medicos*: quod quam scite, vel inepte pronunciatum sit, alii discernant. Interim quo spatio maximè floreat nostri ordinis homines? ubique suam laudem reperiri posse dixerim. Juvenes arbitror alacriores, quod docendo discunt, & ad vagam discentium infirmitatem sese simplicius accommodant. Medios circumspēctiores, quod utilia distinguere norunt a supervacaneis, ac virili quadam gravitate futuros in Ecclesia vel Rep. viros præparare student. Senes tandem quietiores, quod suis studiis contenti virium qualemcumque defectum securam laborandi voluntate compensant. Id enim, quod in acceptis Deo referre decet, hæctenus a me cognitum est, non minorem informandi lætitiā nunc a sene percipi, quam vegetioribus olim annis perceperim. Quin etiam ubi sensim abstrahor a conviviorum aliorumque congressuum ludicris, inter meos tamen, velut in convivio deliciari

vi-



videor. Jucundum est, *cujuslibet generis argumenta proponere*; jucundum est *artificia, quæ statim succurrunt, expromere*; jucundum est, *quicquid juvenes tentaverint, extemporali fidelitate statim sub-  
jicere*. Sic viam currentibus facilem, latus aperio; sic ad currendum nullos provoco, quin gressibus quàm latissimis currendi vices in me recipiam. Faxit DEUS, ut, qui futurus est hujus lætitiæ, vitæ simul meæ sit finis, ac ubi gaudere desierim in terrâ, gaudium meum inchoetur in cœlo.

Satis vixi, *cujus omnes Antecessores ne ad sexagesimum ætatis annum pervenerint, neq; tot etiam annis muneri suo præfuerint*. An quis mihi scripturus sit Epicedium, id ad me non pertinet: tametsi neminem ab hoc officio prohibere velim: quod olim, fecisse dicitur celeberrimus in Gallia Passeratius, qui ne malum simul carmen nancisceretur, nullum desideravit. Incidit tamen historia, *cujus te participem libenter facio*. Decimus agitur annus, quod mei visendi causa Zittaviam veniret HUBNERUS Martisburgensis. Inde proficiscbamur ad FUNGGIUM Gorlicensem, qui cum vario benignitatis genere nos fuisset profecutus, me jam valere iustum denuo revocans, *Est, inquit, Affinis & Vicine conjunctissime, quod rogatum a te velim*: ac ubi me deprehenderet in omnibus officiis aut obsequiis paratissimum, *Ultimam, ait, mihi gratiam feceris, si funeri meo, quod brevi futurum auguror, non deneges carmen*. Nihil a me responderi poterat aliud: *rogari Deum ut Gymnasti bono diutius viveret, ac posse fieri, ut ipse meis exequiis ea justa solveret; me tamen effecturum, ne quid in me desiderari queat, si Deus aliquam mihi carminis necessitatem injunxisset*. Sic discedimus. Interim ubi tertius agitur mensis, die Mercurii Funccium decessisse nunciatur, die Veneris sepeliendum. Ego voti & promissi memor, ut carmen apud nos typis exscriptum, in ipsis exequiis distribueretur, efficio. An hoc quis officium mihi sit aliquando redditurus, mei curent: sed tamen facere non possum, Amicissime Ludovice, quin ea Tecum communicem, quæ post fata mea nolim ignorari. Non desunt passim, qui Weisianos sese nominant, *cujus tituli gloriola carere libenter velim, sicut Paulus & Apollo neminem a se vocitari cupiebant*. Inde factum est, ut homines scire vellent, *quanam esset Weisiana methodus, quæ notam, præfiscini, distinctivam mereretur?* Quibus tamen ego respondi, quin & a meis, postquam abesse coeperim, responderi cupiam: *De nomine nunquam me fuisse solicitum, nec dubitari, quin hoc titulo commendationem aliqui caprent, qui, quid ego docuerim aut egerim, prorsus ignorant*. In eo tamen consistere constantem meam informandi consuetudinem, quod *ultima velut testamenti tabula complecti visum est*.

Ad vitam potius, quam ad scholam singula compono: ne quid discatur, quod vel in ipsa functione supervacaneum sit, prohibeo. Res docentium culpâ difficiles facile, controversas irenicè resolvere



conor. Impossibilia juvenibus non obtrudo: hinc antiquitatem veneror, ne tamen recentioribus nostris studiis noceat, caveo. Bonos Auctores explico, non ut formulas servili obsequio colligam, sed ut fontes, unde formulas petierint, ostendam. Rerum ac disciplinarum qualemcunq; notitiam urgeo, ne loquentibus loquendi desit materia, sed ad stylum requiri sciant, & conceptuum solertiam, & verborum concinnitatem. Memoriam, judicium, quin & loquendi scribendiq; facultatem hebescere non patior: ut extemporalitatis præcipua requisita strenuè colant, moneo. Ne pietatem a studiis separent, rogo: sed omnes, qui futuri non sunt theologi, christianos tamen fore dictito: sic Politicos etiam ut theologiæ tum dogmaticæ & moralis, tum homileticæ principia teneant, compello. Nihil a discentibus exigo, quod ipse, quàm factu facile sit, non probaverim. Neminem contemno, qui viam suis auditoribus commodiorem pollicetur. Sed ab aliorum quoq; judiciis nunquam dependeo, qui rerum naturam, quæstionum circumstantias, artificiorum cum ratione convenientiam respicio. Pacem colo, ut qui libellos non paucos in lucem emiserim, nec polemicis scribendi formulis caruisse videar, nullis aliorum controversiis fuerim involutus. Uno verbo, Juvenes meos timeo, nec classem nisi tribunal ingredior: non quod imperitos decipi posse dubitem, sed quod nonnullos aliquando noverim meos fore judices: qui certè prudentiores facti meos & successus, & conatus, & defectus non dissimulabunt.

Serves itaq; mi LUDOVICE, simplicem amici faventis ideam, ac ut imaginem Tuam, ad hunc ætatis gradum deductus, aliis commendare queas, vive. Gymnasium ornas fovendo Rectori commodum. Quot enim Scholæ passim extant, in quibus vivere quidem, sed mori nolint Rectores. Qui dum aratro manum admovent, aliò tamen respiciunt, vereor ut liras suas observare possint. Integrum hominem requirit hæc functio, qui cæteris omnibus posthabitis, in solitudine suâ, quid omnibus Statibus inserviat circumspicere queat. Ut igitur integrum Te Schleusinga possideat, nec in ipso senio minuat hæc integritas, more, quem dicere velim, Weisianum, h. e. sincere precor. Vale. Scribebam raptim, ut Rectores sua festinare solent, in Gymnasio Zittaviensi. M DCCV. die 14. Martii, qui quidem in plerisq; Calendariis, nescio cur non in nostris, ZACHARIÆ sacer est: quod nomen, vel ob B. SELIGMANNORUM SENIORIS memoriam, pretiosum nobis esse debet.









Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1066905 1